



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis
summis philosophis repetita**

Scribonius, Wilhelm Adolf

Hanoviae, 1593

VD16 S 5114

8 Quid Æquitas.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

Veritas, est justitia sermonis integritatem conservans.

Sic Joannes Baptista Herodi aperte veritatem dixit, quod is se incaestu polluerat, quo sibi extremum malum summumque capitis periculum accersivit: Nam ut ille apud Terentium ait:

Veritas odium, obsequium verò amicos parit.

Sic apud Virgilium, Anna
*Vera fatebor, ait, miseri post fata Sichai
Conjugis, & sparsos fraterna cade penates
Sonus hic inflexit sensus, animumq, labentem
Impulit, agnosco veteris vestigia flamma.*

Æquitas, est justitia rigorem juris attemperans.

Sic quamvis Hebræis lex lata fuerit, ut diem Sabbathi sanctificarent, & ita ab omni opere cessarent, Christus tamē necessitatem, seu potius æquitatem respiciens eo ipso die discipulis suis spicas vellere concessit, unde Juvenius ait:

*Hæc ubi dicta dedit, messis per culta gravata
Præterit, & populus sectantum discipulorum
Spicarum gravidam carpebat in ordine frugem:
Ile dies veteri poscebat lege quietem,*

*Sabbatha nam priscis repetebant ocia jussis.
 Ecce Pharisai curant reprehendere Christum
 Quod sanctæ legis calcarent jussa metentes
 Discipuli, legum sed tunc completor Iesus
 Incipit, iis veteris scripti monumenta retexens
 Legistis certè in templo Davida canorum:
 Cum populo quondam panes sumpsisse sacratos,
 Et propriam comitumq; famem sedasse, sed illos
 Illicitum cuique fuerat contingere panes,
 Sumere quos solus poterat de lege sacerdos:
 Eiusdem scriptum est justo moderamine legis
 Sabbatha profanent templo sine crimine vates,
 Nec minor est istic vestra glomeratio turba.
 Quàm templi virtus, caperent si pectora vestra
 Quod non sacra Deus, sed mallet mitia corda
 Non tam sæpe viros damnasset factio vestra
 Expertes culpa, sed nunc ego Sabbatha cuncta,
 Sponte mea dominans legis sub jure tenebo.*

Sic Zaleucus urbe Locrensiùm à se saluber-
 rimis atq; utilissimis legibus munita, cum filium
 ejus adulterii crimine damnatus, secundum jus
 ab ipso constitutum utroq; oculo carere debe-
 ret, atq; tota civitas in honorem patris neces-
 sitatem pœnæ adulescentulo remitteret, ali-
 quandiu repugnavit. Ad ultimum precib; po-
 puli evictus, suo prius, deinde filii oculo eruto
 usum utriq; videndi reliquit. Ita debitum sup-
 plicii modum legi reddidit, æquitatis admira-
 bili temperamento se inter misericordem pa-
 trem, & justum legislatorem partitus est.